

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Augustanae Confessionis Historiam, Rectore Magnificentissimo, Serenissimo ... Friderico Augusto, Principe Regio ... A Recentiorum Quorundam Corruptelis Breviter Vindicatam Dabunt**

**Wernsdorf, Gottlieb  
Seeger, Johann Friedrich**

**Vitembergae, 1705**

§XXI.

[urn:nbn:de:bsz:31-67830](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-67830)

ditionem alio, quam quatenus cum *priore* conveniat, sensu, accipere voluissent. Damus igitur non discriminaſſe Confessiones *mutatam*, & *non-mutatam* Principes, sed *quoad latuit* dolus, qui simul ac *deprehensus* fuit, ac *patuit*, *mutatam* nunquam probarunt. Non etiam confundi debent *ſententia Principum* recte ſtuentium de doctrina, cum *ſtudiis* eorum, quorum t. t. *conſiliis* regebantur. Illi non alia de causa probarunt, quam quia *ſubſtantialiter* non differre ſpecioſis quibusdam rationibus erant perſuasi. Hi vero id unice dabant operam, ut *mutatam* C. laudando aditus patefieret ad invehendum Cinglianismum, quibus etiam conſiliis alicubi reſpondiſſe eventum incommodo noſtro didicimus. Vid. *Hiſt. A. C. Wolfio* oppoſita f. 439. ſq. quam ſe auctoritate publica ſcripiſſe ipſe *ſe neccerus* teſtatur in *der Wieder-Antwort* c. Pezelium p. 147. Add. *Oſtander H. E. ſec. XVI. L. III. c. 42. p. 713. Hönius* in *Hiſt. Conv. Numb.* & alii.

§. XXI. Obvertitur poſtremo e.) *multos e Noſtris, Brentium, Andream, Chytraum, Chemnitium, mutatam confessionem* laudaſſe, & ſpecialim *ſe neccerum* multa in eos, qui audeant improbare, *convitia* conieciſſe. *Mentzerum* quoque *mutatam Confessionem* in *Proleg. ad A. C. ab omni crimine* abſolviſſe. Vid. *Hexas* p. 18. 19. 21. Conſentit Auctor *der Erwegung* p. 120. 122. 123. Reſpondemus a.) *Brentium* probaſſe mutationem Confessionis, falſiſſimum eſt. *Jac.* enim *Andree*, quo ille familiariter eſt uſus, *Hertzbergæ* in *Colloquio* eſt teſtatus, ſape ſe audiviſſe *Brentium*, ea de mutatione querentem. Vid. *Act. Serveſtana* p. 92. Laudaſſe in *prima Saxonie ſue* editione *Chytraum*, largior: in altera vero diſpunxit, quod eodem in *Colloquio* obvertenti *Amlingio* reſpondit, non *Chemnitius*, cui id tribuit *Arnoldius* l. c. f. 214. sed *ſe neccerus*, qui & ipſe t. t. faſſus eſt,

multa se olim scripsisse, quæ jam publice retractet, quibus nimia Conf. mutatae laudes haud dubie sunt accensendæ. Menzero id tribui a Strimesio p. 20. quod mutata C. in ipsis rebus plane cum prototypo convenientem habuerit, maximopere miror. Quando enim l. c. scripsit: *Qui mutatam Confessionem admiserunt publice testati sunt, hætenus, & non aliter, a se recipi, quatenus in ipsis rebus plane conveniat cum prototypo*: facile apparet Eum tò quatenus non causaliter, sed restrictivè sumpsisse, mutatamque C. admittere voluisse, non quia, sed quatenus & quoad cum prototypo conveniat. Ex parte ergo probavit, non toto: sub restrictione, non simpliciter. Ad b.) distingvi oportere inter *usum & abusum* mutatae Confessionis. Si quis enim Articulum ejus X. proprie, literaliterque intelligat, &, ambigue licet positum, in partem meliorem accipiat, & ex mente Lutheri, & non mutatae Confessionis explicet, tolerari utique, si non ut *ingenua Confessionis particula*, saltem ut *bona quædam sententia* poterit, cum nihil palam falsum impiumque contineat. Unde & Chytraeus in quadam ad Kuffovium Epistola p. 1185. scribit: *si sana & Lutherana explicatio retineatur, eam rejici non posse*. Si quis autem eundem sensu sequiore accipere, ejusque verbis ad *premendam*, vel etiam *prodendam veritatem*, & *occultandum*, *invebendumque errorem* abuti velit, quod fecisse nonnullos hucdum meminimus, tum eundem ut *ambidextrum*, nec edenda Confessionis, quæ semper *ingenua* esse debet, idoneum, omnino rejiciendum esse putamus.

§. XXII. *Substantialem esse Conf. mutationem* hucdum confutatis adversarii argumentis ostendimus. Videamus II.) num Philippus, conscio Luthero, & publica auctoritate, an vero privato suo consilio Confessionem mutaverit? Ac prius quidem illud affirmarunt olim Theologi Electora-